



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani, Liberi Baronis De Furstenberg**

**Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>**

**Parisiis, 1684**

Francisco Libero Baroni de Nesselrod, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7748**

Frustratus Batavos, patriam populatus inermem  
 Hostibus intactis, cum Duce miles abit.  
 Francorumque metu relegens iter, arva relinquit  
 Vestphala, nec sistit bruma, nec unda fugam.  
 Nam velut exorto decedunt nubila Phœbo,  
 Hostiles fugiunt te, LODOICE, manus.  
 Quis te sustineat pugnantem, si procul hostem  
 Præcipitem solo nomine victor agis?

FRANCISCO

LIBERO BARONI DE NESSELROD,

*Dynasta in Drachenberg, Ehereinstein, Stein & Herten, hereditario Mariscallo Ducatus Montensis, S. Casarea Majestatis Cubiculario intimo, & pro Electore Coloniensi Vestæ Recklinghusane Governatori.*

DE INCENDIO EJUS BIBLIOTHECÆ.

NESSSELRODE novem decus Sororum,  
 Clarus sanguine nec minus vetusto,  
 Quam virtutibus, ingenique donis,  
 Et fortunæ opibus tibi faventis:  
 Non mirum est, rapido quod ussit igni  
 Infensus tibi Mulciber libellos;  
 Quando carmina tam diu moraris  
 Dias luminis edidisse in auras.  
 Quare consilium meum secutus  
 Edas carmina luce digna, rursus  
 Ne Vulcanus edat tuos libellos:  
 Implacabilis esse enim videtur  
 Tardis tardigradus Deus poëtis.